





9452

DE  
**OBLIGATIONE  
AD CVSTODIAM**

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

**D. IOANNE TOBIA RICHTERO**

ICTO CELEBERR. PROFESSOR. IVR. SAXON. ORD.

SENATOR. CIVIT. LIPŠ. ET COLLEG. MINOR.

PRINC. COLLEGIATO

D I E

**COLLEGIO DISPVUTORIO RICHTERIANO**

S O L E M N I

D. XIII. NOVEMBER. CIOIOCCLXXIII.

DISPV TABIT

AVCTOR ET RESPONDENS

**IOANNES CHRISTIANVS HVBNER**

CHEMNITIENS. MISN.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA

1773, 46.

DE  
OBLIGATIONE  
AD CASTODIAM

HABENDA ET HABITANDA PROPIETATIS  
SOLVENDA ET SOLVITANDA  
DIDICANNE HOMINIS RIGHTERO  
INTERCOSTALIS EQUUS TUL. TACON. OLO.

CONVENTUS ET CONVENTUS  
CONVENTUS ET CONVENTUS

CO-EGO DICO DICO DICO DICO  
DICO DICO DICO DICO DICO DICO

DICO DICO DICO DICO DICO DICO  
DICO DICO DICO DICO DICO DICO

DICO DICO DICO DICO DICO DICO  
DICO DICO DICO DICO DICO DICO

JOHANNES CHRISTIANUS HEDNER

SCHEIBELBACHENS MUS.

LIPSIENS

EZ. GREGORIUS FABRICIUS

VIRIS  
EXCELLENTISSIMIS  
CONSULTISSIMIS AMPLISSIMIS PRUDENTISSIMIS  
GRAVISSIMIS  
CIVITATIS PATRIAE MODERATORIBVS  
**CONSVLIBVS PRAETORIBVS**  
SYNDICO  
RELIQVISQUE  
**SENATORII ORDINIS**  
CHEMNITIENSIS  
**PATRIBVS**

PATRONIS SVIS OMNI,  
QVA PAR EST, PIETATE  
VENERANDIS

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS  
CVM ARDENTISSIMO  
PERPETVÆ PROSPERITATIS  
VOTO  
IN SIGNVM ANIMI HAVD IMMEMORIS  
D. D. D.  
TANTORVM NOMINVM  
PARDIAS  
OBSERVANTISSIMVS  
CVLTOR  
IOANNES CHRISTIANVS HÜBNER  
L. L. CVLTOR.



### §. I.

Ad intelligendas Leges, nihil quod prius *Verborum*  
praecipiat ars interpretandi, quodue sensus in LL.  
explicandis  
magis necessarium pariter ac proficuum est eruendas.  
sit, reperimus, quam quod omnium  
verborum, quibus Lex conscripta est,  
sensus rite eruatur. Iis nimurum, ut cum Lege<sup>a)</sup> loquar, mi-  
nistris utimur, ad cogitationes nostras cum aliis commu-  
nicandas. Iam vero nunquam sieri poterit, ut quid sibi  
velit scriptor, intelligamus, nisi, quae idea voci, qua-  
vus est, subsit, tuto sciamus. Respondet etenim cui-  
que sua idea; e quo simul appetat, quod in difficultibus  
locis nunquam licere possit, alia substituere verba,  
quippe quae ad alias res se ferrent, aliudque indica-  
rent; neque hoc modo sensus erueretur, sed inferretur.  
Tanto minus igitur emendatio talis in Legibus interpre-

A 2

tan-

a) 1, 7, ff. de suppel. leg.



tandis admittenda erit, quo maius, imo ineuitabile fere, est periculum, ne quid introduceretur, quod ne in mente quidem venerit legislatori.

§. II.

*Verus sensus  
verbis est tri-  
buendus.*

Nullo tamen modo sufficit, sensum e Legum verbis eruuisse; sit verus oportet, ut scilicet vim et potestatem eorum teneamus, atque sic idem cum eius auctore sentiamus. Neque enim dici potest, intelligi Legem, nisi easdem tam cuique verbo quam integrae enunciacioni iungamus cogitationes, quae ei, a quo lata, in animo fuerunt. Quod quidem varias ob causas admodum arduum interdum esse, nequit negari: attamen nec hac in re a vero facile aberrabimus, si citra necessitatem nunquam ab ea recedimus notione, quam a consuetudine, loquendi magistra, quoquo tempore verbis intelleximus esse attributam. Non enim ex singulorum opinione sed ex communi vsu nomina debent audiri, cum nemo dixisse videatur, cuius non suo nomine vsus sit<sup>c</sup>). Facillimo autem negotio perspicitur, in iure explicando dupli modo fieri id oportere: partim enim verus verborum sensus ex consuetudine loquendi omnibus viris eruditis, ut solis grammaticis communis, partim, ex ea, quae Ictis est propria atque ab his in arte sua tantum recepta, persuestigandus est atque dijudicandus. Quae omnia si non iusta diligentia is, qui ad interpretandas Leges animum adiungit, obseruat, egregio interpretationis fine excidit, atque alia omnia, quam quae Legis verba comprehendant, exponit. Qua incuria admissa necessitate quadam factum est, ut ius incertum saepe atque anceps euenerit; ut termini occurrant, quibus tot paene sententias subie-

ctas

b) L. alleg. de supp. leg.

❧

Etas esse deprehendimus, quot interpres iis existent.

### §. III.

Contigit id, vt alia, quae vbique obvia sunt, mit- *Proponitur*  
tam exempla, etiam voci custodiae. Vindicat haec sibi *thema*.  
locum inter tritas illas, quibus iura pacientes stringunt,  
praestations, quae cum omnino rite intellectu perquam  
necessariae sint, siquidem iis determinatur, qua potissimum  
fide atque ratione, quod in cuiusque obligatione  
est, fieri deberet: eo minus superfluum fore arbitror, ei  
explicandae operam aliquam adhibere. Sunt, et magni  
quidem nominis ICti, qui culpam leuissimam sub illa ex-  
primi volunt, qui tamen eodem gradu a veritate abesse  
mihi videntur, quo is ipse sensus distat ab eo, quem per-  
petuus loquendi usus huic voci subiecit. Sane, nihil  
aliud est custodia, quam *opera*, quae rei illaesam afferuan-  
dae impenditur. Quod igitur, quomodo etiam Legi-  
bus conueniat, quatenus et quando quis ad eam obliga-  
tus esse dici possit, pro viribus, quae par est, modestia  
paucis ostendere constituimus.

### §. IV.

Afferuimus, custodiā praestare idem esse, quod *Partes custo-*  
elaborare, vt res aliqua illaesā afferuetur; in quo non a *dientis expo-*  
natura rei solum sed Lege etiam adiuuamur. Illud a fine  
custodiae, nempe vt res salua maneat, cuilibet, quod  
opinor, per sanam rationem patet: hoc autem com-  
monstrat *Ictus PAVLVS*,<sup>c)</sup> qui idem, quod et alii affir-  
mant, his potissimum verbis: *saluum fore recipere*, per-  
spicue exprimit. E quo iam haud difficile erit, latius ad  
*custo-*

c) in L. 5. §. I. ff. Naut. cap.



custodiam obligationem exponere, seu quo imprimis modo quis, quod partium suarum in custodiendo est, rite faciat, definire. Id autem maxime curae sibi habeat, ut eiusmodi loco res semper sit recondita, vbi, nisi vis adhibeat, non auferri, nec vbi, nisi culpa intercedat, amitti possit. Quodsi fecerit, securus est, cum aduersus vim parum proficiat custodia<sup>d)</sup> casus vero ad eum non possit pertinere, quem nimurum dominus sentit, nisi ultro eum suscepere, aut quod singulare est, pro ipsa custodia mercedem acceperit.<sup>e)</sup> Deinde probe caueat, ne apud alium rem aequa bene reconditam esse existimet, quo casu omne ipsius foret periculum, nisi expresse id potestatis in eum contulerit dominus, quippe qui singularem eius fidem atque industriaem elegisse censetur. Qua vero non electa, sicuti in usu fructuario et marito, aderit quoque ab isthac saitem obligatione exemptione quamvis non minus uterque custodiae causa teneatur. Non tamen sufficit, habere quounque tempore id, quod custodiendum alicui commissum est; illae sum habeatur oportet, quod non minus custodiae ineffe claris verbis testatur PAVLVS<sup>f)</sup>: *Quaecunque de furto diximus, eadem et de damno debent intelligi, non enim dubitari oportet, quin is, qui saluum fore recipit, non a furto solum, sed et a damno recipere videatur.* Parum accurate igitur, custodientis officium definitio nobis videtur EV. OTTO<sup>g)</sup> qui omnem eius obligationem in eo ponit studio, quod adhibet homo frugi et bonus pater familias, ne a furibus res auferatur. Defendant interim eum quodammodo

d) L. 31. ff. de aet. emt. vend.

e) L. 40. ff. Loc. cond.

f) L. 5. §. 1. ff. Naut. caup.

g) in Comm. ad I. 1. 3. t. 14.

9

modo, quae **V L P I A N V S**<sup>g)</sup> habet, vbi iam olim quoque dubitatum esse, nos docet, vtrum de damno dato custodiae nomine agi possit. *Qua enim custodia fieri potuit, ne damnum daretur? Sed Marcellus interdum esse posse ait, siue custodiri potuit, ne damnum daretur, siue ipse custos damnum dederit, quae sententia Marcelli probanda est.* Quo igitur et nos omni vteriori probatione supersedere possumus, custodientis omnino esse, etiam de damno cauere.

### §. V.

Iam a quo et quibus casibus debeatur custodia, vi-  
deamus. Atque facile est intellectu omnem rei alienae  
detentorem, quicunque titulus eum tueatur, ad illam  
obligari<sup>h)</sup>. Si enim, quo tempore dominus rem suam  
repetit, ea apud detentorem vel plane non amplius exi-  
steret, vel haud salua existeret, iure ad omne damnum  
tenebitur. Sed et in suis rebus custodia interdum prae-  
stanta est, quando nimirum non perpetuo eas sibi ser-  
uare licet. Sic negari nequit, maritum dotis: illum, qui  
rem sub pacto de retrouendendo coemit, rei traditae ac-  
quirere dominium: nihilominus vterque rei sua custo-  
dienda operam tenetur adhibere, cum hac neglecta, illo  
casu dos non possit redire ad constituentem, hoc autem,  
pactum contractui adiectum eventu destitueretur. Idem  
haud dubie juris erit in bonis auitis, fideicommissis fa-  
miliae, aliisque, vbi eandem subesse reperimus rationem.  
Tuto igitur in vniuersum statui poterit: toties ad custo-  
diam adesse obligationem, quories quis rem possidet,  
ad cuius restitutionem in specie tenetur; quod quidem  
tunc

g) L. 41. ff. Loc. cond.

h) L. 5. §. 14. ff. Comm. vel contr.

B

◆ ◆ ◆

tunc semper obtinebit, quando vel iure dominii temporarii, vel ex alio quocunque ad dominium transferendum inhabili titulo, eius possessor existit.

### §. VI.

*Oblig. ad custodiā, differt ab ea ad diligentiam,*

Neutiquam vero commiscenda est, quod plerique fecerunt, obligatio ad custodiā, cum ea ad diligentiam. Haec in omnibus omnino negotiis locum habet, illa vero natura sua nunquam, nisi vbi res interuenit, aliquando reflectuenda. Quamobrem etiam ipsis Legibus accurate eas videmus destingui, e quibus vnicē satis erit laudare sententiam **V L P I A N I** i) huius quidem tenoris: *Is, qui commodato accepit, et dolum, et culpam et diligentiam et custodiā debet paefare.* Haud igitur, quin prorsus inter se different, dubium potest esse; neque tamen inficias ire licet, adhibendam esse diligentiam circa ipsam custodiā, quin absque illa haec animo non potest cogitari. E quo denuo sequitur, ut eosdem gradus habeat necesse sit custodia, quos diligentiae esse iuris auctoritate statuunt, ideoque eam in exactissimam, quam plenam **C A I V S** k) vocat, medium et infimam abire, cum vel vsu quotidiano edocitus non eodem modo homines res suas custodiare solere, nullus non concedet. Qualem igitur diligentiam quodus exigit negotium, talis etiam, si quid in eo custodiendum venit, praefanda erit custodia, nisi circa hanc, pacto adiecto aliud quid placuerit contrahebentibus, quod omnino licet, cum ad naturalia contractuum custodia sit referenda<sup>l)</sup>.

### §. VII.

i) in **L.** 5. §. vlt. ff. **Commod.** vel **contra.** Cf. etiam §. 4. I. quib.  
modis re.

k) **L.** 2. ff. de peric. et comm.

l) **L.** 5. §. 6. et 14. **Commod.** vel **contr.**

§. VII.

Atque ex eo, quod diversa sit custodia, prout *Lex obstante remouetur.*  
est diligentia, quae ei accedit, explicanda esse censeo  
verba Imperatoris IVSTINIANI<sup>m)</sup> quae ita fluunt: *Is,*  
*apud quem res deposita est, custodiā non p̄aefat, sed*  
*tantum in eo obnoxius est, si quid ipse dolo malo fecerit. Quia*  
*de causa, si res ei surrepta fuerit, quia restituendae eius*  
*rei nomine depositi non tenetur, nec ob id eius interest, rem*  
*saluam esse, furti agere non potest. Quae dispositio quam*  
*maxime viderit obstat iis, quae supra diximus, quod*  
*omnis ille, cui res aliena concredita est, ad custodiā*  
*teneatur, tum, quia manifestum est, nullum dominium*  
*in depositarium transferri, tum etiam, quoniam consti-*  
*tuti iuris est, in sola custodia omnem depositi legem*  
*et naturam consistere. Putarunt igitur plurimi, custo-*  
*diam hoc faltem loco pro culpa leui atque leuissima esse*  
*accipiendam<sup>n)</sup>. Eo minus tamen hoc vnico loco sen-*  
*tum nollemus admittere, quem nunquam alias tribu-*  
*tum ei reperimus, quapropter persuasi potius sumus,*  
*custodiā etiam isthac lege nihil noui significare, sed*  
*eandem, quam supra exposuimus, retinere indolem*  
*attamen ex diligentia in deposito debita aestimandam at-*  
*que dimetiendam, ita, vt haec verba: *custodiā non**  
**p̄aefat, nihil aliud indicent, quam quod ab exactissi-**  
*ma atque media immunis sit custodia, qui depositum*  
*acepit, non aequē ab infima quae nihilominus debetur,*  
*Qua quidem in re etiam Cel. NOODT<sup>o</sup>), qui cetero-*  
*quin prorsus a nobis dissentit, eadem viderit statuisse:*

B 2

quin

m) §. 17. I. de oblig. ex del.

n) IAC. GOTTER, in Comm. ad reg. iur. I. 23.

o) in Probab. iur. L. I. c. 3.



negare Imperatorem, ait, a depositario praestandam esse custodiam, sed ideo, quia non eam praeflat, quam commodatarius aut fullo. Neque potest nimis aliena videri haec interpretatio, cum in eadem Lege sanciatur; *dolum dantummodo praestare debere depositarium, et alibi<sup>p</sup>); culpae nomine eum non teneri*: attamen nemo est, qui negat, culpam latam eodem iure in iudicium depositi venire, quod aliis locis aperte etiam assertitur<sup>q</sup>). Hac igitur posita non potest non etiam infima, quae ei responder, custodia poni, cum hac remota nihil super sit in deposito, circa quod ea, quam hominum natura desiderat diligentia, cuius nimirum omisso lata culpa est, possit adhiberi. Quod vero in eadem Lege statutatur, ad restituendum non teneri depositarium, mirum sane; nec meo quidem iudicio verba haec secus intelligi posse videntur, quam cum hac restrictione: si quis absque dolo malo, et quae ei aequiparatur, latiore culpa possidere desierit.

### §. VIII.

*L.13. §. 1. ff. de  
pign. acti. ex  
conitur.*

Sunt denique, qui falsa hac ratione, quod culpam leuissimam denotet custodia, adducti pignorum adeo creditorem ab ea liberare intenderunt; quam diserte ei iniungit **VLPIANVS<sup>r</sup>**: *Venit autem in hac (pignoratitia) actione, et dolus et culpa ut in commodato; venit et custodia.* Quod cum valde sibi aduersari animaduerteret **CVIACIVS<sup>s</sup>**, hanc in pignore custodiae praestationem, nulla ratione verborum Legis generatim conceperunt.

p) in §. 3. I. quib. mod. re contr.

q) L. 32. ff. depositi vel contr.

r) L. 13. ff. de pign. act.

s) in Obleru. I. 19. c. 24.

■ ■ ■

ceptorum habita ad eum easum restringit, vbi in solius creditoris utilitatem pignus sit contractum; NIEL-LIVS autem, et qui eum sequutus est, GERH. NOODT<sup>t)</sup> non dubitant, manum adeo ei emendandae admouere, hunc quidem in modum: *at in commoda-to venit et custodia.* Absit autem, qua nullo modo indigemus, quaevis restrictio; multo magis, quae nunquam non periculi plena esse solet, emendatio. Ecquis est, qui non in eo nobiscum conueniat, vt concedat, ad restituendum teneri creditorem? Id vero quomodo ef-fici poterit, nisi veniente die habeat, quod restituat, id est, nisi custodiā praefiterit. Hac igitur non obstante optime procedunt, quae PAVLVS<sup>v)</sup> habet: *Ea tan-tum, quae diligens patris familias praefstat, a creditore exiguntur.* Permirum igitur, quod B. LEYSER<sup>x)</sup> de hac NOODTII emendatione tam egregie iudicauerit, vt, quamuis pleraque, quas alias suscepisset, temerariae essent, haec tamen sit felicissima et omnium optima. Cui accedit, quod idem ab IMP. DIOCLETIANO re-petitum legimus,<sup>xx)</sup> *Sicut vim maiorem pignorum creditor praeficare non habet necesse: ita dolum et culpam, sed et cu-stodiā exhibere cogitur.*

### §. IX.

Ipsi denique huic doctrinae, quod exactissimam diligen-tiam seu culpae leuissimae praestationem significet custo-dia, quamuis iam ex iis, quae hucusque in medium protuli-mus, luculenter appareat, quam parum fidei mereatur, pau-

B 3

ca

*Differentes  
refutantur.*

t) in Probab. iur. I. 1. c. 4. Latus eos refutauit PRAESES Gr. in sel.  
iur. prin disp. 20. pos. II.

u) L. 14. ff. de pign. act

x) In meditat. ad z. spcc. 153.

xx) in L. 19. C. in quib. cauf. pign.



ca tamen adhuc opponere conabimur. Nusquam funda-  
mentum iuris idoneum, quo nitatur, licuit reperi-  
re; vbique vero, qui eam pro vera acceptarunt atque ven-  
tilarunt; at vbique etiam Leges, quae ei videbantur pe-  
nitus aduersae. Ipsi, qui eam tradunt, nos docent,  
nec possunt secus, in locatione conduetione vtrumque  
contrahentem, quia vriusque concernit vtilitatem, leuem  
sibi inticem praeflare culpam: at quid quod respondeant,  
habebunt, quando in Constitutione Imperatorum V A L E-  
R I A N I E T G A L L I E N I Y) cautum reperiunt, quod *et in hac*  
*conuentione veniat custodia.* Neque poterit hoc loco restri-  
ctio, sicuti id in pignore factum deprehendebamus, locum  
habere, cum vtilitate locatoris sublata, nulla amplius exi-  
steret locatio. Hanc excipiat effatum P A V L I Z): *Fru-  
stuaris debet praeflare custodiam.* Cui tandem adiicere pla-  
cket, quae Imperator Z) edicit: *Venitorem serui, qui qui-  
dem venit, sed nondum traditus est emtori, custodia suscep-  
ta periculum eius, fuga sibi consulentis aut subrepti subire teneri,*  
*quamvis neque dolus neque culpa eius interuenerit.* Quae cum  
ita sint, nescio, an vltierius stare possit eiusmodi opinio,  
nisi quod aperte Leges sibi contradicerent, vellemus lar-  
giri?

y) L. 2. ff. Usufruct. quem.

z) L. 28. C. de loc. cond.

a) §. 5. I. de emt. vend.



## COROLLARIA.

*Testamentum nuncupatiuum subsiftit, quamuis scri-  
ptura, in quam redactum est, vitetur.*

*Ex Substitutione pupillari, competit etiam iure civili ma-  
tri legitimia, si substitutus acquirit hereditatem.*

*Filius qui hereditati patris antea valde tenui nunc subi-  
to auctae renunciauit, nihilominus ad successio-  
nem admittendus.*

*Pecunia lustrica pertinet ad peculum aduentitium or-  
dinarium, non ad profectitum.*

*Quamuis inuentarii confectionem tutori remiserit testa-  
tor, nihilominus magistratus tutelaris illud iniun-  
gere ei potest.*

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI,  
HVIVS DISSERTATIONIS AVCTORI

S. D. P.

P R A E S E S

 Triginta anni sunt elapsi, per quos in illustri hac Academia, cum suauissimis commilitonibus meis summa cum voluptate, disputando subtilissima quandoque iurisprudentiae capita, penetrare mihi licuit. Initium harum priuatarum mearum exercitationum fiebat eodem hoc mense Nouembri A. C. N. MDCCXLIII. e quo istud collegium, haud interrupta serie, in hunc usque diem duravit, mox certissima spes est, illud etiam imposterum, sub meo praefidio, quamdiu Deus vitam et vires concedet, adhuc esse duraturum. Praeteriti huius temporis iucundissima mihi est recordatio, partim quod ipse speciminibus atque laboribus eorum, qui mecum militarunt, mirifice oblectatus fui, partim etiam, quod interea temporis sensim sensimque tot viros doctos et exercitatores inde prodiisse, ac reipublicae dudum iam profuisse, iure meo laetari possum. Sed non minus iucundum est tempus, quo nunc viuimus, quia dulcissimos commilitones meos, qui hodieque mecum laborant, veterum illorum virtutem nondum deserere, sed eos potius felicissime imitantes, non tantum strenue in eodem negotio adhuc versari, verum etiam diligentiae suae rationem quandoque publice reddere, laetissimus video. Et eiusmodi publicum specimen Tu Doctissime HÜBNERE, qui in consortio nostro Senioris partes cum laude tenes, iam edis, quod ego Tibi tanto lubentius ex animo gratulor, quanto magis bona fide testari possum, quod illud a Te solo, nemine openferente, confectum et elaboratum fuerit, et quanto maiori fiducia prauideo, quod hanc rem Tuam etiam in cathedra egregie sis explicaturus ac defensurus. Opto ex animo ut non modo haec omnia ex voto Tibi procedant, sed etiam omnibus Academicis laboribus Tuis superatis, ut a republica, cui Tu bona officia praefundi spem optimam facis, Tibi quoque iusta diligentiae praemia decernantur. Vale et me amare perge. Dab. Lipstiae die X. Nouembris A. C. N. MDCCCLXXIII.







**ULB Halle**

004 758 501

3



*Slc*





DE  
**OBLIGATIONE  
AD CVSTODIAM**

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E

**D. IOANNE TOBIA RICHTERO**  
ICTO CELEBERR. PROFESSOR. IVR. SAXON. ORD.  
SENATOR. CIVIT. LIP\$ ET COLLEG. MINOR.  
PRINC. COLLEGIATO

D I E  
COLLEGIO DISPV TATORIO RICHTERIANO  
S O L E M N I

D. XIII. NOVEMBER. CICCI CCLXXIII.

DISPV TABIT  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**IOANNES CHRISTIANVS HVBNER**  
CHEMNTIENS. MISN.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA